



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

13. De hospitalitate S. Gregorij quodq[ue] liberalitate sua in pauperes meruerit à Deo peruehi ad summum sacerdotium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

liber, Ago tibi gratias Domine DEVS meus, quod me dignum censueris, qui tua tibi offerrem: & quod ex mundi bonis nihil aliud sit mihi reliquum, nisi tertia pars nummi, quam ipsam iubeo quoque dari pauperibus, qui sunt mihi fratres in CHRISTO. Quando enim Dei promissione creatus fui Episcopus Alexandriae, inueni in meo Episcopatu circiter octo millia librarum auri: ex oblatione autem priorum collegi denis millibus plures his pecunias. Quas cum cognoscerem esse Christi, Christo etiam dare volui, cui nunc quoque trado animam. Cum hoc testamentum sui fecisset ille magnus homo Dei, deposuit spiritum in manus Dei uiuentis. In cuius autem sepultura fit miraculum quod nulli cedit ex ijs, quae vnquam facta sint mirabilia. Nam cum esset deponendus in aede oratoria admirabilium operum effectoris Tychonis, in quadam capsula, in qua erant condita duo corpora episcoporum, videre licebat haec duo corpora mortua veluti animata, tribuere cultum beato corpori. Nam a se inuicem seiuncta, id medium accipiunt.

Ex lib. 2. cap. 22. vite S. Gregorij Magni, edita a Ioanne diacono Romano, qui claruit anno Domini 872. habetur in Laurent. Surio 12. Marty. De hospitalitate S. Gregorij quodq; liberalitate sua in pauperes, meruerit a Deo peruenchi ad summum sacerdotium.

Kk

CA-

*Hospitalitas
S. Gregorij.*

*Vide eiu ho
mil. 88. in E.
uangelio.*

TAntæ hospitalitatis Gregorius in ipso etiam patriarchio permanfit, vt exceptis his quos tam per diuersas regiones quâ Romæ quoque Longobardorum perfidia gladios fugientes, Ecclesiæ ftipe misericorditer nutriebar, quotidie ad mensam suam peregrinos quoslibet inuitaret, inter quos die quadam vnus accessit, in cuius manibus dum ipse ex humilitatis ministerio aquam fundere vellet, conuersus vrceū accepit: sed repente eum, in cuius manibus fundere voluerat, inuenire non potuit. Cumque hoc factum secum miraretur, eadem nocte dominus per visionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti.

Alio quoque tempore idem Gregorius iuxta consuetudinem suam præcepit sacellario, vt duodecim peregrinos ad prandium inuitaret. Qui pergens, iussa compleuit, eosque ad mensam pariter ordinauit. Dum autem simul discumberent, intuens Papa, tredecim numerauit. Et accersito sacellario, cur contra iussionem suam, tertiumdecimum inuitare præsumpserit, inq̄ fuit, ille obstupescit, conuiuantibus peregrinos curiosus numerauit, & duodecim solos inueniens, veluti securus respondit: Crede mihi, honorabilis pater non sunt mei duodecim sicut ipse iussisti? Ergò dum conuictus, sæpius duodecim identidem nu-

me-

meraret, ac tertiumdecimum, quem solus Pa-
 pa videre poterat, non videret animadvertens
 spiritualis pater Gregorius, virum propius di-
 scumbentē volens crebro conuertere, & nunc
 adolescentem, nunc verò se vetulum veneran-
 da quadam canicie simulare, finito conuiuio
 duodecim quidem abire permisit, tertiumde-
 cimū verò manu suscipiens, in cubiculum
 suum induxit, vehementer adiurans, vt ei se
 nomenque suum simpliciter prodere digna-
 retur. Qui respondens, dixit. Et cur interro-
 gas de nomine meo, quod est mirabile? Verun-
 tamen scito memoria recognoscens, quia ego
 sum naufragus ille, qui quondam veni ad te,
 quando scribebas in cella monasterij tui ad
 clinum Scauri, cui dedisti duodecim num-
 mismata & argenteā scutellam, quam tibi mi-
 serat cum infusis leguminibus beata Syluia
 mater tua. Et hoc tibi pro certo sit cognitum,
 quia ab illo die, quo mihi hæc hilari animo
 tribuisti, destinavit te dominus fieri præsu-
 lem sanctæ suæ Ecclesiæ, pro qua & proprium
 sanguinem fudit, & esse te successorem atque
 vicarium Apostolorum principis Petri, cuius
 virtutem imitatus es, cum substantias offeren-
 tium diuideret, prout cuique opus erat. Hæc
 audiens Gregorius, dixit, & tu quomodo no-
 sti, quod tunc me dominus præesse sanctæ suæ
 Ecclesiæ destinavit? At ille inquit. Quoniam
 ego angelus eius sum, & tunc ab eo ad tuum
 inquirendum propositum destinatus. Tunc

18.2. 04.

Angelus se a-
stēdit S. Gre-
gorio.

kk 3

Gre-

Gregorius, quia nondum manifestum viderat angelum, prorsus expavit, sibi que hunc taliter dicentem audiuit: Ne timeas, neque formides. Ecce enim remisit me dominus, ut sim tibi custos quandiu fueris in isto mortali seculo: quatenus quamcunque rem petieris, per me apud eum fiducialiter valeas impetrare. Illico Gregorius in faciem suam corruit, dicens: Si propter pusillum meæ parvitas minusculum tanta mihi retribuit omnipotentissimus dominus, ut & pontificem me sanctæ suæ Ecclesiæ faceret, & custodem mihi suum angelum deputaret: quanta putem mihi restitui, si in præceptis eius totis viribus permanens, plura studuero de pluribus erogare?

Hius ammiranda liberalitas

Igitur incipiens tanta largior esse de collato temporali commodo, quantum certior de recipiendo præmio sempiterno, cûctorum patrimoniorum præmiorumque reditus, ex Gelasiano Polyptycho, cuius nimirum, studiosissimus videbatur pedissequus, adærauit, eorumque pensionibus in auro argentoque collatis omnibus ordinibus Ecclesiasticis, vel palatinis, monasterijs, Ecclesijs, coemiterijs, diaconijs, xenodochijs, yrbanis, vel suburbanis, quot solidi quater in anno distribuere-
tur, Paschæ scilicet, Natali Apostolorum, Natali sancti Andree, natalitioque suo Polyptychum, quo hætenus erogantur, indixit.

Extra quos, primo Dominicæ resurrectionis diluculo, in basilica quondam doctissimi
Papa

Papæ Vigilij, iuxta quam consueudinaliter habitabat, ad impertiendum pacis osculum residens, cunctis Episcopis, presbyteris, diaconibus, alijsque axiomaticis, aureos erogabat. Natalitio verò Apostolorum vel suo, mixtos solidos offerens, peregrinis nihilominus vestimenta donabat.

Omnibus omnino Kalendis, pauperibus generaliter easdem species, quæ congeriebantur ex redditibus, erogabat. Et suo tempore frumentum, suo vinum, suo caseum, suo legumē, suo lardum, suo manducabilia animalia, suo pisces, vel oleum, paterfamilias domini, discretissimè diuidebat. Pigmenta verò alibi-que deliciariora commercia primoribus honorabiliter offerebat, ita ut nihil aliud, quàm communia quædam horrea, communis putaretur Ecclesia.

Tribus millibus ancillis Dei, quas Græci ^{3000. man-} monasticas vocant, quindécim libras auri pro ^{ales alit li. 8.} lectisternijs dedit, eisque quotidianis stipendijs octoginta libras animaliter conferebat. De quibus Theoctisto patricio scribens. Harum, inquit, talis vita est, atque intantum lachrymis & abstinentia districta, ut credamus quia si ipse non essent, nullus nostrum iam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorum gladios potuisset.

Quotidianis quibusque diebus per omnium regionum vicos vel compita, infirmis seu qualibet corporis parte debilibus, coacta sti-

pendia per constitutos veredarios emittebat. Verecundioribus verò, antequàm ipse cibum caperet, à mensa sua benedictionis Apostolica ostiatim dirigere curabat scutellam: ita vt neminem prorsus exciperet misericordissimi beneuolentia prouisoris, quem ad finem traxerat omnipotentis cognitio creatoris.

Pauperis obitus quã fuerit afflictus. Horum dum quendam pauperem in angustiis audronarũ recessibus à vespillonibus inueniri mortuum contigisset, estimans eum stipis inopia perijsse, ita per aliquot dies vt dicitur, à missarum celebratione vocando tristatus est, tãquam si eum proprijs manibus (quod dictu nefas est) peremisset.

Extat vsque hodie in sacratissimo Lateranensis palatij scrinio, huius confectum temporibus chartaceum præ grande volumen, in quo communis sexus cunctarum ætatum ac professionum nomina, tam Romæ quàm per suburbana ciuitatẽsue vicinas, necnon lóginquas vrbes degentium, cum suis cognominibus temporibus, & remunerationibus expressius continentur.

Christianus Massæus libr. 16. Chronicorum. De Caroli Flandria comitis & martyris admiranda in pauperes liberalitate, martyrio & miraculis eiusdem.

C A P. X I V.

ANno 1123. asperrima fuit hyems. Intemperies aëris tanta, vt vix mense Maio florent arbores, & imbris fata perirent.